

M A N I B U S
P U E L L Æ A M O E N I S S I M Æ
LUDOVICÆ ELISABETHÆ
CZIMMERMANNIÆ

ANNO M. DCC I. die III. JANUAR. TRISTI ELEGO

Parentare voluit

Johannes Schultzius Mariæ - Insulanus.

Hic jacet in gelido Monumento, VIRGO sepulta;
Nomen scire vales? ELISABETHA fuit,
Et LUDOVICA simul, Sacrata Puella JEHOVÆ,

Flos juvenilis, honos, eximiumque decus.

Præbens Solamen moestis, Matri atque Parenti,

Exhilarans omnes dexteritate sua.

Abstulit hanc nobis Mors, tetra & falce peremit,

Vivere quæ potuit Tempora longa diu.

Mors nulli nostrum, nulli est obnoxia dicto,

Mors sine lege capit, Mors sine Lege rapit.

Tempore non longo Tibi Mors inopina Sororem

Proh moeror! rapuit, CHARE PATRONE, tuam:

Nunc iterum Mors atra venit, juguloque diremto

Delevit pariter Filiolamque Tuam.

(*) Alba ligustra cadunt, vaccinia nigra leguntur,

Quæquæ sub legem Mors vocat atra suam.

O miranda DEI Mysteria! Fata ferenda!

O casus Hominum! Consilia atque DEI!

Sed quid opus Facto? patientia cuncta gubernans

Temperet & lacrymas, condat illa pias.

Sic Dominus voluit, Fecit Divina voluntas,

Qui dedit hanc iterum ponit ad Astra Poli.

Is madidas iterum lacrymas in gaudia vertet,

Et post moestitiam gaudia multa dabit.

Virg. Eccl. 2.
Bucolic.



E Chalcographo Thoruniensium.

